



A Delgerus Sueviæ Dux insigni corporis & animi fortitudine præditus fuit. Itaque cum Romani assiduis bellis Germaniam fatigare atque sibi subjicere statuissent, ipse fortiter eis restitit, ac aliquoties eorum copias fudit & Germania expulit. Vnde factum quod anno Christi ducentesimo nonagesimo, in magna authoritate apud Germanos extiterit. Hac eius fama permotus Constantius Cæsar, Constantini Magni pater, qui cum Diocletiano & Gallerio Rempublicam Romanam administrarat, ingentem exercitum conscripsit, atq; Adelgero bellum indicens, ei obuiam processit. Verum ad Lingonas memorabili prælio superatus ab eo fuit. Cum autem secundo congredierentur, Constantius ad lacum Podmicum Germanos uicit, atque cum Adelgero pacem sancivit. Itaque ob huius rei memoriam in loco, ubi prælium commissum erat, urbem condidit, & eam de se Constantiam appellauit. Beda testatur ultimum prælium, anno 15 Diocletiani commissum, Id quod erat anno Christi 300, Eutropius, Eusebius,